

theda apostolica, ut postea videbimus: professio vero eiusdem fidei, ac communio eorumdem sacramentorum et subordinatio legitimis pastoribus iam continentur in eo quod dicitur regnum rectum apostolica auctoritate, quae est auctoritas docendi, sanctificandi et regendi, exigitque debitam subiectionem, quae si ab omnibus eidem auctoritati deferatur ut in regno fit, unitas certe et communio obtinet.

Id tamen habet speciale definitio quam proponimus, ut praesentem sistat ipsum Ecclesiae supremum caput qui est Christus, fundamentalemque habitudinem Ecclesiae ad Christum exhibeat in eo sitam quod ipsa sit regnum Christi.

§. X.

*Ecclesia Christi est societas hominum ex essentia sua visibilis: quocirca non duplex est Ecclesiae forma, altera invisibilis, visibilis altera, ita ut priore essentia Ecclesiae contineatur; sed una est Ecclesia essentialiter visibilis, verbumque Dei pervertunt Protestantes cum duplicem formam Ecclesiae secernentes, soli Ecclesiae sub forma invisibili existenti praerogativas verae Ecclesiae competere contendunt.*

I. Ut Ecclesia visibilis sit requiritur primo ut visibiles sint personae ad eam spectantes, ritus quibus sociantur, ministerium quo reguntur, et huiusmodi. Haec est *visibilitas materialis*, sed non sufficit. Requiritur enim secundo ut videatur et innotescat has personas hos ritus hoc ministerium et huiusmodi esse ipsam Ecclesiam, ut possit intelligentibus veluti digito demonstrari: *haec est Ecclesia Christi*. Haec dicitur *visibilitas formalis*, quia non videntur tantum ea quibus Ecclesia constat, sed ipsa societas sub ratione talis societatis videtur. Sic videtur regnum quodvis civile. Iam vero visibile proprie dicitur quod sub sensum oculorum cadit; sed latiore etiam significatione adhibetur, ut sit id quod sub alios quoque sensus cadit; hunc latiore sensum non excludimus nunc. Porro duplici modo potest aliquid visibile dici: *immediate* nempe et *mediate*. Immediate, quod per se sensus attingit; mediate, quod inest illi quod sensus attingit, et per ea quae sensus attingit ab intellectu in illis videtur. Prior dici potest *visibilitas sensibilis*, altera *intelligibilis*: ea materiali, haec formali visibilitati respondet. Exempla prostant in omnibus: sic dicimus nos videre naturas corporeas, videre homines. Unde cum aliquod subiectum ex duplici elemento constat, quorum alterum sit per se immediate invisibile, si hoc alterum tamen sit per aliud mediate visibile visibilitate intelligibili, totum illud subie-

ctum dicitur et est simpliciter visibile: ut homo. Iam vero cum Ecclesiae visibilitatem vindicamus, non aliam aut maiorem asserimus visibilitatem quam ea sit quam omnes humanae naturae concedunt.

Quoniam visibilitas intelligibilis complectitur elementa quaedam quae per se propria sunt rationis, distinguendum est inter id quod ratio vi sui luminis naturalis intelligit, et id quod intelligit lumine fidei. Strictè enim *visum intelligibiliter* appellatur id cuius intellectus per se cognoscit existentiam et rationem intrinsecam cur sit, ut subiectum hoc esse hominem: sic enim visio intellectualis opponitur obscuritati fidei.

Quoniam Protestantes in visibilitate distinguunt gradus, monemus eam visibilitatem proprie dici qua res sit conspicua et *discernibilis ab aliis*; neque enim licet visibile illud dicere quod nequis videre; nequis autem videre Ecclesiam si ita obscurata est ut eam ab aliis coetibus nequeas discernere. Imo talem asserimus necessariam Ecclesiae visibilitatem, quae hoc iudicium cum certitudine determinare valeat: *haec est vera Ecclesia*. Huc enim spectat visibilitas Ecclesiae, ut homines certi sint quinam sit coetus cui adiungi debent pro salute aeterna consequenda. Visibilitas ergo verae Ecclesiae est *certa manifestatio* verae Ecclesiae.

Nihil impedit quominus id, quod visibile est, sit quoque obiectum fidei: nam primo idem pluribus diversis motivis cognosci potest; et ita fide credimus existere mundum corporeum, hominesque constare ne dum spiritu sed et corpore, et simul utrumque intelligibiliter videmus; sic ergo existentia quoque Ecclesiae videri et credi poterit. Secundo, aliquid potest sub una quidem ratione videri, sub alia vero apprehendi intelligentia fidei; ita baptismus et videtur et creditur; videtur ritus exterior, creditur ratio Sacramenti ac divina institutio illius ritus. Ita Ecclesia videri potest tum immediate tum mediate quoad personas, ritus, socialem communionem, easque dotes quae soli verae Ecclesiae competant, simulque credi potest tum eius divina institutio, eademque perpetua, tum intrinseca dignitas supernaturalis eiusdem ac necessitas et efficacia ad finem consequendum cum suis ceteris praerogativis. Sed de hac re inferius. Atque haec de modo visibilitatis.

II. Cum quaestio instituitur de visibilitate Ecclesiae, attingitur quaestio de constitutione essentiali eiusdem: nimirum utrum ad essentiam Ecclesiae pertineat aliquod elementum per se interius et invisibile, puta fides interior. Qui enim negant necessariam esse verae Ecclesiae visibilitatem, eo moventur quod Ecclesia sit coetus membrorum Christi vel iustorum vel saltem credentium, iustitia vero et fides invisibiles sunt, nec per exteriores actus certe manifestantur; nam hi ex hypocrisis esse



possunt. Nisi ergo statuas utrum nec ne interiora dona, aliqua saltem, ad essentiam Ecclesiae spectent, non licet tibi quaestionem de visibilitate Ecclesiae absolutam censere. Nec admodum proficis si profitearis te in quaestione de visibilitate loqui de corpore Ecclesiae. Nam quid est hoc quod appellas corpus Ecclesiae? an est secundum essentiam tota Ecclesia, an tantum pars? Si est tantum pars, nondum demonstrasti Ecclesiam esse visibilem nisi demonstrates quod altera pars per eam fiat visibilis; secus enim totum invisibile erit: si vero id demonstrates non solum corpus, sed et corpus et animam h. e. totam Ecclesiam probas esse visibilem; idcirco de ipsa adaequate, non de corpore tantum loqueris. Si vero id quod vocas corpus Ecclesiae est secundum essentiam tota Ecclesia, oportet ut quaestionem agas de interiori quoque principio, nam propter eius necessitatem negant plures visibilitatem esse Ecclesiae essentialem.

Porro cum Ecclesia non sit nisi in membris suis, quaestio haec: an aliquod interius et per se invisibile principium sit de essentia Ecclesiae, transformata est in hanc: an principium aliquod interius, puta fides, sit necessarium ut quis sit membrum Ecclesiae. Et quidem hae duae quaestiones per se differunt; nam potest esse aliquid essentialia toti quin formaliter insit singulis partibus, ut ratio in homine: verum solutio secundae quaestionis est necessaria pro absolute quaestione de visibilitate; si enim necessaria est membris Ecclesiae fides interior, hac non visa ignoras vera membra Ecclesiae, et sic nescis quaenam vel ubi sit Ecclesia: hinc in quaestione de visibilitate Ecclesiae quaestio quoque de membris eius sive de iis quae essentialia sunt ut quis sit Ecclesiae membrum, disputari consuevit.

Bellarminus (De Eccles. L. III. cc. 4-10) ut Ecclesiae visibilitatem in tuto collocaret negavit ullam interioriorem virtutem sive sanctitatis sive fidei necessariam esse pro constituendo Ecclesiae membro. Alii e contrario cum Suarez (De Fide disp. IX. sect. I. n. 24) negant esse Ecclesiae vere membrum eum qui interiori fide caret, sed dicunt ipsum tale esse solum apparenter: negant tamen exinde sequi Ecclesiam fieri invisibilem. Et quia ratio huius negationis quam reddunt, sufficiens certe est in quaestione quae habeatur cum Protestantibus (eam penitius in §. seq. expendemus) ipsam nunc libet afferre, ut sic alterutra hypothese vel Bellarmini vel Suaresii permissa, liceat de visibilitate, semotis difficultatibus, disputare. Itaquet liquet haec duo componi posse quod Ecclesia sit coetus vere credentium, et sit certo visibilis, si interius elementum per exterius certo manifestatur. Duplici autem modo haec manifestatio haberi potest, vel quatenus quod est exterius natura sua manifestat interius vel in singulis vel saltem in universo coetu, vel quatenus ex divi-

nae providentiae speciali dispositione fit, idque nobis constat, ut in coetu visibili sint semper veri fideles sive omnes sive saltem plures. Hac enim hypothese facta, ratione quoque habita legis moralis qua constat fieri non posse ut in multitudine ingenti profitentium fidem absque ratione sufficienti plures non sint veri fideles, ipsa fides interior totius coetus per exteriorem professionem certo proditur: ideoque necessitas illius non impedit quominus ille coetus sit necessario visibilis. Certe enim tunc constare potest quod hic coetus sit coetus credentium, et quamvis non constet de singulis quod sint vera eius membra, quae si fide carent, sunt solum apparenter eius membra, constat tamen quod et in hoc coetu sunt veri fideles, et ex veris fidelibus coalescit hic coetus. Videbimus quidem in seq. §. quod haec demonstratio non sufficit pro tuenda visibilitate omnium quae visibilia esse debent, sed quia sufficit pro asserenda visibilitate eorum quae Protestantes quoque admittunt, idcirco in controversia cum haereticis licet his esse contentos.

III. Etsi necessitas principii alicuius interioris non excludat per se visibilitatem Ecclesiae, neque tamen per se eam includit; restat ergo integra quaestio an Ecclesia Christi sit necessario visibilis. Affirmant catholici, negant plus minus haeretici recentiores. Sane docuit Huss quod unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas (a. I. cf. et 24). Ecclesia ergo invisibilis foret; praedestinatio enim invisibilis est nihilque ponit in praedestinato.

Lutherus autem ex suis principiis circa iustificationem coactus est Ecclesiam ad invisibilia ablegare. Contendebat enim Deum per se immediate docere, sanctificare, sibi copulare fideles et sanctos. Quo quidem posito inutilis videretur quoque Scriptura: sed quia ea existit, ususque eius indifferens est haereticis, temperata est ea sententia ut diceretur Deus ponere quidem sensus in anima, sed ad lectionem vel auditionem Scripturae, ut idem sit verbum interius et exterius. Quocirca utrumque verum est: et Deus solus docet fidelem interiore verbo, et sine Scriptura nulla cognitio Christianismi. Sicut Deus solus docet, ita ipse solus regit per mandata aut leges quas in Scripturis tradit, et quia fides sola iustificat, Deus autem fidem infundit docendo, ita ipse solus immediate iustificat. Nulla est ergo necessitas ministerii docentis, regentis, sanctificantis; Ecclesia proinde ex Dei institutione est per se invisibilis. Quod vero invisibile per se est potest manifestari et fieri visibile per effectus et actus licet sibi non necessarios, ut Angelus cum apparet: ita interior fides et iustitia hominum ad Ecclesiam spectantium per exteriores eorundem actus potest fieri visibilis, et sic habetur Ecclesia visibilis, sive ha-



betur visibilis forma Ecclesiae. Haec tamen forma visibilis 1. non est necessaria: 2. ea est consequens interioris formae, non est principium. In hac exteriori forma sunt quidam prae aliis quibus praedicatio verbi demandata est, sed hi missionem habent a communitate, hodieque laici sunt qui heri erant ministri: omnesque de populo ius per se habent docendi, suntque sacerdotes. Ceterum haec species regiminis retenta est contra ipsa principia doctrinae ab haereticis ut propagationi et perennitati suae doctrinae consulere, haberentque quibus praeesent. Cf. Moheler Symbolica.

Inter reformatos contraremonstrantes Franciscus Turretinus (Institutionum Theologicar. Loco XVIII De Ecclesia q. 7.) docet duplicem esse formam Ecclesiae, internam invisibilem, externam visibilem: quaecumque vero Ecclesiam proprie dictam constituunt esse interna et invisibilia, nempe electionem et vocationem efficacem, unionem cum Christo, Spiritum, fidem, regenerationem, inscriptionem legis in cordibus, cultum λογικον et spirituales: formam externam sitam in professione fidei, et participatione Sacramentorum sub pastoribus legitimis posse desinere, h. e. posse obscurari et abscondi ita ut non appareat (qq. 8. et 9.); promissiones autem Christi proprias esse Ecclesiae sub forma invisibili. Contendunt scilicet aliam esse rationem reipublicae seu regni terreni, et rationem Ecclesiae: formalis enim ratio Ecclesiae sita est in communiione mystica fidelium cum Christo et inter se; quae communiio et societas hominum dari potest quin se agnoscant et se videant.

Idem inter Arminianos Limborkius affirmat (Theologia Christiana L. VII. c. 13.) contendens quidem divisionem Ecclesiae in invisibilem et visibilem non esse « totius in partes, sed subiecti in adiuncta » at simul docens vera Ecclesiae membra hominibus inconspicua esse; est enim Ecclesia societas tantum vere fidelium: ideoque contra Pontificios, ut ait, Ecclesiam adstruit invisibilem.

Anabaptistae ministerium externum reiiciebant, solam Spiritus inspirationem interiorem admittentes, cui Scripturam subordinabant. Habebant vero prophetas, afflatos scilicet a Deo, quibus docerentur. Pariter Quakeri solam communicationem hominis interiorem cum Deo per lumen interius, quo illustratur, mundatur, sanctificatur, admiserunt. Habent tamen ministros pro conservatione sectae suae. (Moheler op. cit. L. II. c. 1. §. 60. et c. 2. §. 69: cf. et Patricium Murray de Ecclesia disp. V. Sect. 1. n. 15. seqq.)

Itaque Protestantes generatim non in eo discrepant a catholicis quod vel duas Ecclesias statuunt veluti duo subiecta distincta, vel negent Ecclesiam visibilem; sed in eo quod affirmant Ecclesiam essentialiter vel in sola forma invisibili contineri; negentque formam

visibilem esse de essentia Ecclesiae illius cui factae sunt a Christo promissiones; atque ideo negent externam formam, h. e. externum ministerium, externamque cum eo societatem esse necessarium principium ac medium gignendae et conservandae formae interioris. Catholici e contrario docent, Ecclesiam Christi essentialiter societatem esse, eamque in sola forma invisibili non posse concludi, sed ad eius essentiam formam visibilem spectare non secus ac spectat ad essentiam cuiusque societatis humanae; eamque formam socialem visibilem, sive ministerium cui alii subordinantur esse certum principium interioris vitae gignendae et alendae, et sic ex forma interiori et externa unum fieri quod utrumque essentialiter requirat. Demonstraturi ergo visibilitatem Ecclesiae oportet ea argumenta proferamus quae probent visibilitatem Ecclesiae sub eo adaequato conceptu catholico qui protestantico adversatur.

IV. Et 1° quidem manifestum est sententiam protestantium falsam esse. Nam ex eorum sententia forma visibilis non est necessaria Ecclesiae, quippe quae sine illa esse potest. Atqui certum est eam esse necessariam ut sine ipsa nequeat esse Ecclesia. Sane a) Ecclesia promissa in Scripturis est coetus visibilis, maximeque conspicuus; est enim domus Dei Iacob in monte sita, ad quam populi multi mutuo se provocantes conveniunt ut doceantur vias Domini, et ambulent in semitis eius Isai. II, 2-5. Mich. IV, 1. seqq. Ecclesiam hic promitti patet ex notatione aetatis ultimae, *novissimis diebus*, ex appellatione *domus Dei*, ex munere quod praestat in ea Deus, *docet quippe vias suas*, ex concursu ad eam omnium gentium, *fluent ad eum omnes gentes*, quibuscum et Domus Iacob ad accedendum provocatur ut ambulent in lumine Domini: *Domus Iacob venite et ambulemus in lumine Domini*. Cf. Originem cont. Celsum clare ita interpretantem hoc testimonium L. V. n. 33. Est huiusmodi coetus ut ab ortu solis usque ad occasum magnum sit nomen Dei in gentibus quatenus in omni loco sacrificatur et offertur nomini Dei oblatio munda Malach. I. II. Atqui haec sistunt Ecclesiam conspicuam; est enim conspicuum id quod exhibetur in monte situm, ad quod populi veluti ad destinatum locum se provocant convenire; item gloria Dei magna in gentibus, sacrificium quod in omni loco ab ortu ad occasum offertur postulant conspicuum coetum illum in quo Deus glorificatur, sacrificioque honoratur: per sacrificium enim visibilis fit coetus ille religiosus in quo sacrificium peragitur, et per sacrificium in omni loco oblatum fit omnibus conspicuus. (Summus autem heic de sacrificio proprie dicto sermonem esse, quod alibi demonstratur). Atqui necesse est Ecclesiam talem esse qualis promissa est: ergo.



b) Ecclesia a Christo instituta est societas hominum non solum cum Deo sed et inter se mutuo colligatorum: atqui huiusmodi societas est necessario visibilis; ergo. Maior patet primum ex ipso nomine Ecclesiae, quae talem societatem significat, deinde ex verbis Christi volentis ut et Apostoli et qui per verbum eorum credituri sunt, sint unum et consummati in unum; ea quidem unitate qua fiat ut cognoscat mundus quod Pater misit Christum, et dilexit eos (Ioan. XVII, 21. 23). Idem ex eo patet quod Ecclesia Christi est regnum (Matth. XVI, 19), est civitas (Apocalyp. XXI, 2), est domus (1. Tim. III, 15. 1, Petr. II, 5), est ovile (Ioan. XXI, 15), est tribunal ad quod mali sunt deferendi (Matth. XVIII, 17), in qua proinde sunt praesides et subditi, pastores et oves, magistri et discipuli. Minor probatur, quia homines invicem colligari nequeunt nisi quodam modo invicem communicent: nequeunt autem invicem communicare nisi per exteriores actus; oportet ergo ut communicatio sit exterior ideoque visibilis: ergo.

c) Ecclesia Christi non alia est ab ea cuius propagationis historia tum potissimum in Actibus, tum in Apostolorum Epistolis narratur. Nam certe Ecclesia Christi fuit Apostolorum coetus a Christo collectus: huius autem incrementa manifestantur in iis monumentis. Huius porro coetus ibi historia narratur, et qualis ibi sistitur est necessario visibilis: ergo.

Ecclesia Christi d) est ea de qua Christiana traditio unice loquitur: atqui talis semper a Patribus concepta est Ecclesia, quae ita conspicua sit, ut non possit non esse conspicua. Non enim est Ecclesia Christi operta, quia non sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Et de illa dictum est: non potest civitas abscondi super montem posita (August. De Unit. Eccl. c. 16); et Ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit, unumque lumen est quod ubique diffunditur (Cyprianus De Unit. Eccl.). Quocirca non debemus attendere iis qui dicunt: Ecce hic est Christus: non autem ostendunt eum in Ecclesia, quae plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem; quae plena est lumine vero, quae est columna et firmamentum veritatis (Origenes in Serie Commentariorum Matthaei ad cap. XXIV. 23). Imo neque sol ita splendidus, neque eius lux ita clara est ut sunt res ad Ecclesiam spectantes: nam sicut domus supra verticem montium omnibus est manifesta, sic et multo magis omnibus conspicua hominibus illa evasit (Chrysost. in Interpretatione Isaiae c. 2) Et re quidem vera haec fuit unanimis sententia veterum, eos esse a Christo alienos, eos a salute extorres, qui separati essent ab hac Ecclesia visibili, quemadmodum constat quoad haereticos et schismaticos, qui nempe

Ecclesiae praepositis docentibus et regentibus subesse nollent; eos non habere Deum Patrem, qui Ecclesiam non habent Matrem, Ecclesiam scilicet eam quae voce Domini super Petrum fundata est (Cyprianus l. c.); successionemque Episcoporum esse criterium dignoscendae veritatis (Tertullianus De Praescription. Irenaeus adv. haeres. L. III, c. 3). Cuius ultimi argumenti vis ut magis pateat advertatur quid in hac disputatione veterum Patrum cum haereticis clarissime confineatur. Traditur enim apertissime fidem necessariam esse ad salutem, veram autem fidem petendam esse ab Ecclesia, seu a magisterio divinitus in Ecclesia instituto; omnes de doctrina quaestiones auctoritate Ecclesiae finiri; eo ipso quod quis huic magisterio refragatur, esse a vera fide et a Deo alienum: atqui non potuissent haec tradi a Patribus nisi simul concepissent atque affirmassent ita Christum instituisse Ecclesiam suam ut voluerit eam esse certo visibilem, ideoque ut sit necessario visibilis: ergo. Auctor quidem antiquus epistolae ad Diognetum c. 6. (Gallandi Tom. 1.) ait: « quod est in corpore anima hoc sunt in mundo christiani... invisibilis anima in visibili corpore... et christiani cognoscuntur (utique qua tales) dum in mundo commorantur, sed invisibilis est eorum cultus divinus. » Verum eam invisibilitatem asserit cultui divino christianorum, qua opponitur hic cultui paganorum qui totus erat materialis et sensibilis; asserit scilicet cultum esse in spiritu et veritate, at non negat hunc cultum per exteriores ritus exterioresque actus virtutum fieri manifestum, imo id supponit affirmans christianos cognosci ab hominibus.

Iam vero necesse est ut Ecclesia semper sit et qualis promissa est, et qualem Christus instituit, et Apostoli propagarunt, et christianus sensus agnovit: nulla autem est alia Ecclesia Christi praeter hanc, Ecclesia enim Christi unica est: aedificabo, inquit, *Ecclesiam meam*: nec duplex esse potest sicut esse nequit duplex corpus Christi et duplex sponsa Christi: ergo Ecclesia a Christo instituta est necessario visibilis.

2° Verissima est catholicorum doctrina Ecclesiam Christi esse ex essentia sua visibilem. Sane elementa plura per se visibilia spectant ad essentialem Ecclesiae constitutionem; et quidem ita ut solum cum illis et per illa sit vera Christi Ecclesia: atqui coetus, cuius essentiam, etsi non omnia, plura elementa per se visibilia constituunt, et qui solum cum illis et per illa esse potest, primo est totus vel immediate vel mediate visibilitate intelligibili visibilis, alia enim elementa si qua sunt cum visibilibus necessario connexa, per haec manifestantur; secundo est essentialiter visibilis, eo quod cum ad essentiam eius elementa visibilia pertineant, etiam ipsa visibilitas spectat: ergo